In Dei Filio sibi dilectis RR. Admodum Patribus, Fratribus, ac Sororibus universis Ord. Prædic.

FR. VINCENTIUS MARIA FERRETTI

Sac. Theologiæ Professor, ejusdemque Ordinis humilis Vicarius, & Procurator Generalis, ac Servus, Salutem, pias lacrymas, & mortis recordationem.



QUAMQUAM ea simus animi perturbatione, eoque luctu, ac mœrore confecti, ut recentem eamque gravissimam Familiæ nostræ universæ calamitatem lacrymis explicare magis valeamus quam verbis, cogit tamen officii nostri ratio eam vobis nunciare, quo in communi mœstitiæ causa omnes vos in doloris nostri consortium advocemus. Amisimus, seu quod omnino speramus, in Cœlum præmisimus Reverendissimum P. Fr. THOMAM RIPOLL universi Ordinis nostri Generalem Magistrum; (*) cecidit corona capitis nostri, pupilli facti sumus absque Patre. (*) Thren. 5.

Nonagesimum quintum agebat ætatis annum, grande quidem ævi mortalis spatium, sed ea mentis sensuumque firmitate, ut nisi tam chari capitis nos fefellisset amor, & desiderium, diu adhuc ominaremur victurum, qui etsi naturæ multum, felicitati tamen nostræ ac desiderio nondum vixerat satis; quare immaturo semper funere eripiendus videbatur, quem nobis ipsis superstitem voluissemus. At spe votisque concidimus, ubi conjurata in optimum ac venerabilem senem una simul tenax pituita, lenta febris, podagricus humor, alvique fluor irrumpere visa sunt, cum quibus dies fere decem luctatus ad extrema sensim deductus est. Denunciato mortis periculo nihil animo motus, sed quasi gratæ rei excepto nuncio anteactæ a pueritia vitæ noxas generali confessione expiavit; mox Sanctissimum Christi Corpus avidissime expetitum summa religione pro viatico sumpsit: Tum adventantem mortem præsentiens inungi ad supremam luctam pio animi sensu flagitavit, ac præsentissima semper ratione, vividisque sensibus jugi prece se se Deo, Cœlitibusque commendans facis instar jam subsidentis inter filiorum suorum precationes & lacrymas placidissime extinctus est die XXII. labentis Mensis hora undecima. Postridie magna omnium ordinum frequentia, atque Urbe universa amplissimi viri casum, orbitatemque nostram prolixe commiserante, solemni funere elatus est.

Jam vero quantum nobis amantissimi Patris interitu abstulerit importuna mors, is facile intelliget, qui eximia ejus in Ordinem nostrum merita, ac beneficia animo reputaverit. Ea scientibus commemorare supervacaneum; brevi autem narratione complecti, cum difficillimum sit, parce admodum presseque indicabimus.

Immortali Familiæ nostræ bono Tarracone in Hispania citeriore natum, atque ab ingenuis parentibus pie sancteque institutum, pubertatis annos nondum ingressum religiosæ vitæ desiderio accensum Barchinonense Cœnobium excepit, ubi triennali functus tyrocinio, quod deffinitum emittendis solemnibus votis tempus nondum attingeret, fundamenta jecit virtutis altissimæ. Indolis ad magna compositæ, & magna pollicentis adolescens susceptæ vitæ rationes, studia, & officia ita strenue est exsequutus, ut ingenio, doctrina, probitate, & virtute æquales suos facile anteiret. Philosophicis, ac Theologicis disciplinis ubertim imbutum eas summa cum laude profitentem miratæ sunt Civitates non unæ confertissima semper Auditorum frequentia, plausu, ac profectu. Cumque non minus sapientiæ, & eruditionis, quam sanctitatis, prudentiæ, vitæque religiosissimæ laudem sibi comparasset, Aragonensis Provinciæ Collegiis, ac Cœnobiis regendis ministrandisque admotus est, viamque semel ad Præfecturas ingressus perrexit porro gradu facili ad altiora, cuilibet se se muneri obeundo parem ostendens. Quæ cum minime fugerent Antoninum Cloche tunc Ordinis Generalem Magistrum in pernoscenda æstimandaque virtute sollertissimum, eum facile permoverunt, ut ad se ne cogitantem quidem ex Hispania arcessitum Provincialem

lem Terræ Sanctæ, Sociumque sibi designaret. Mox ipsum in sollicitudinum suarum partem vocare, ejus in rebus arduis consilio, & opera uti, promovendis Beatorum causis præficere, graviorumque negotiorum molem in ipsum transferre, atque universas fere amplissimi regiminis curas cum ipso partiri, quasi eum sibi, in Ordinis Magistratu aliquando successurum prænosceret, gravissimoque muneri initiari vellet atque præludere. Eo autem humanis rebus adempto Aragonensis Provincia se se illi regendam commisit. At communi Reipublicæ bono vir a Deo servatus Generalibus in Comitiis Bononiæ celebratis Anno 1725. omnium sententia præ cæteris dignior visus est, qui supremo Ordinis clavo admoveretur. Igitur amplissima dignitate auctus eximiam quam de se concitaverat expectationem non sustinuit modo, sed superavit. Nam quo cæteros præformaret exemplo se se omnibus vivam legem statim exhibuit. Tenax in primis sanctissimarum Instituti nostri legum immutabili quadam vitæ ratione disciplinam acerrime tenuit, atque ad extremam usque senectutem sancte admodum rigideque servavit. Cibi somnique parcus, jejuniorum severus custos, laneis ad corpus semper usus, carnium esu jugiter abstinens, quibus ut esurialibus diebus in hac postrema vitæ parte vesceretur BENEDICTI XIV. P. M. intercessit imperium. Pietate autem in Deum, atque in sacra omnia Religione nihil ei prius, & antiquius fuit. In his quæ ad divini Numinis, Sanctorumque cultum exercendum, amplificandum, promovendumque pertinent, non labori parcebat, non diligentiæ, non sumtibus. Hæc fere quotidianæ ejus vitæ exercitatio. Ante diluculum æternorum meditationi vacare, statisque precibus Deum sibi Sanctosque propitiare, exhomologesim facere, sacris operari vel interesse mysteriis: Interdiu autem divini officii soluto penso, Deiparæ Virgini, quam colebat impense parvum ejus officium, ac plenas Rosarii preces exsolvere, absolutis vero aut intermissis negotiis ad cœlestium rerum contemplationem, orationemque redire.

Factum inde arbitramur ut difficillimam regendi artem, qua mirifice excelluit non tam diuturno rerum usu quam accuratis a Deo precibus sibi compararet. Nactus quippe ab eo fuerat acre rectumque judicium, providum, & maturum consilium, zelum in omnibus circumspectum, animum præjudiciis, ac perturbationibus vacuum, æqui in primis justique tenacem, candidum, firmum, constantem, quem nulla flecteret gratia, nulla a recto dimoveret auctoritas; Justitiam vero ita clementia temperabat, ut ad bene de omnibus merendum pronior videretur quam quisque ad rogandum. Severus & asper externam speciem intuenti, sed idem facilis, comis, benignus omnibus eum convenientibus, quibus amantissimi Patris laxabat viscera, ubi non præsidentes aut indigni ab eo quidpiam postularent. His ille dotibus ac virtutibus non ad servanda solum, sed promovenda Ordinis instituta, atque ornamenta feliciter usus est. Ubique vigil, ac solers in omnem Familiæ nostræ utilitatem jugiter excubans, semper anxius ne officio deesset, semper actuosus ac providus, nullo fractus labore vel territus, ipse per se pervidere singula, illa perpendere, illa expedire tanta judicii ac memoriæ vi, ea mentis sensuumque firmitate, quæ in homine prope centenario incredibilis videretur. Ejus propterea diuturnæ procurationis spatio illa nobis obtigit rerum tranquillitas, illa felicitas temporum, qua aureum Ordinis seculum rediisse videretur. Eo Præside ac Moderatore implentem vidimus Romanam Sedem Benedictum XIII. P.O.M. atque immortali Ordinis gloria quinque ex cœtu nostro sacra Purpura decoratos: Agnetis Politianæ, & Catharinæ de Ricciis præclara nomina in Sanctarum Virginum Fastos relata: Benedicti XI. P. M., Stephanæ de Quinzanis, Alvari Cordubensis, Petri Gonzalez, Matthæi Carrerii cultum eo promovente ab Apostolica Sede probatum: Rem Ordinis diplomaticam multis exceptam voluminibus jamdiu vulgatam: Annales nostros feliciter cœptos, brevique ut sperare juvat ad calcem perducendos: Scriptores egregios sane multos, Apostolicos viros pro Catholica Fide martyrio laureatos, atque id genus alia in Fastos nostros referenda, quæ non sine maxima ejus regiminis laude memor & grata posteritas commendabit.

Summis etiam ac principibus viris maximo in pretio atque honore fuisse inter monumenta numerabitur famæ ejus & gloriæ nunquam interituræ: atque ut cæteros sileamus Benedictus XIII. præconceptam de illo ante Pontificatum existimationem incredibilis in eum benevolentiæ ne dicam, an venerationis, significationibus toto Pontificatus sui tempore cumulavit. Cui quidem ut viventi gratissimam officiis suis retulit vicem, ita majorem vita functo rependit; Nam ejus corporis e Vaticana ad Minervitanam Basilicam summa celebritate translationem promovit, ipsumque magnifico monumento componendum curavit. BENEDICTI vero XIV. Ecclesiæ clavum feliciter glo-

rio-